

*Transunto lettera patente
di Carlo l'Illustre*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Transunto lettera patente
di Carlo l'Illustre*

1323-05-14

In nomine Domini Dei Eterni et Salvatoris nostri Iesu Christi Amen. Anno ab Incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo tertio. Regnante Domino nostro Roberto Dei gratia Gloriosissimo Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulee, et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis illustrissimo Comite. Regnorum vero eius anno quintodecimo, mense Madii, die quartodecimo, sexte inditiones, apud Curiam Petri Sancti Severi.

Nos Ioannes de Penderla terre Sancti Severi Iudex, Thomasius de Spiano publicus eiusdem terre notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati, et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur. Quod predicto die in nostra presentia vir nobilis dominus Guglielmus Ruffus de Sinopolo Miles Ducalis, Cambellanus et familiaris, ac Regius Iustitiarius Principatus Citra, Terras Montorii ostendit nobis, et publice legi fecit, quasdam Patentes et Ducales Literas parvo Sigillo ipsius a tergo in cera rubea sigillatas, quas vidimus, legimus, et inspeximus diligenter et subscribe erant per omnia serici.

Assirente itaque praedicto Iustitiario de predictis Literis debere transumptum habere in forma publica per cautelam. Ideo nos predicti Iudex, Notarius, et testes requisivit attente nostrum super hoc predictorum Iudicis, et Notarialis Officium quod est publicum implorando, ut Literas ipsas ad sui, et omnium quorum interest, et interesse poterit, certitudinem, et cautelam authenticare, insinuare, et in presentem formam publicam redigere deberemus, requisitionis cuius de vote parentes ut pote iuste facte, Literas ipsas ad ipius Iustitiarii, et omnium quorum interest, et interesse

poterit certitudinem, et cautelam, nihil subtracto, addito, vel mutato transumpsimus, et in presens publicum Instrumentum nostra Ordinaria Authoritate redigimus transumptatas, nostris qui supra Iudicis, Notarii, et testium signis et subscriptionibus roboratam. Quod scripsi † Ego praedictus Thomasius de Spiano publicus dicte Terre Sancti Severi Notarius qui predictis rogatus interfui et meo signo signavi. † Ego magister Ioannes Iudex. † Ego Bartholomeus Scyllatus Miles testis sum. † Ego Iudex Ioannes de Manfrido de Ebulo testor. † Ego Iudex Ioannes de Mantutio de Ebulo testis sum. † Ego Marchisius de Panteleone testor. † Ego Gulielmus de Saragoda Miles testis sum. † Ego Ioannes de Salo testis sum.